



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm IV. Episcopus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

gravatur enim jus socij, si præter socium inhabitare, aut intrare volentem, domini jure, etiam inquilinum tolerare debeat. Secus est, si socius inhabitare non possit, aut non velit, v. g. in locis remotis degens, tunc alter socius domum totam inhabitare potest, vel si ipsi non lubear, alteri totam locare, quamvis socio invito, ita tamen, ut is partem pensionis accipiat secundum *Gl. Marginalem in cit. L. Sabius 28.* Ratio est, quia ædes ad hoc factæ sunt, ut inhabitentur, si non à domino, tunc ab inquilino.

## CAPITVLVM IV.

## Episcopus.

## PARAPHRASIS.

Si Episcopus Clerico sacrum Ordinem sine titulo, unde vitæ necessaria percipiat, contulerit, ipsemet ei necessariam sustentationem largiri debet, donec ipsi in aliqua Ecclesia convenientia militiæ Clericalis stipendia assignet, præterquam si ordinatus ex sua, vel paterna hæreditate, se alere possit.

## SUMMARIUM.

1. Clerico, qui Ecclesia inservit, stipendium necessarium ad congruam sustentationem debetur.
2. Quamvis ex patrimonialibus vivere possit.
3. Ad cujus rei meliorem intellectum quatuor tempora distingui debent.
4. Duplex est titulus, ad quem ordinari in sacris potest Clericus: titulus beneficij, & titulus patrimonij.
5. Prior titulus propriè ita dicitur, & ad eum requiruntur plura.
6. Primò scilicet, ut sit titulus perpetuus.
7. Secundò, ut sit sufficiens, saltem unà cum patrimonio, aut alio beneficio, ad sustentationem beneficiari.
8. Tertio, ut habeatur illius pacifica possessio.

9. Ad pensionem Ecclesiasticam ordinari quidem potest aliquis, si hæc sit perpetua & titularis, sicut etiam ad Coadjutoriam cum facultate certò succedendi.
10. Alter Titulus Patrimonij, in casu necessitatis sufficiens est, multa tamen ad hujus sufficientiam requiruntur.
11. Referuntur tres modi, qui sunt extra controversiam sufficientes.
12. Referuntur duo modi, de quibus dubitari potest, an sint sufficientes.
13. Episcopus ad sacrum Ordinem Clericum promovens, qui nullum titulum habet, aut beneficij illius, ad quod prius ordinatus est, resignationem recipiens, sustentare hunc, & de omnibus ad vitæ necessarijs ei providere debet, donec beneficium assequatur.
14. Ita ut hac sustentandi obligatio ad successorem etiam transeat; nisi Episcopus ordinans non fuerit in culpa, aut Archidiaconus sine titulo per negligentiam ad Ordinem, ordinandum admitterit; aut dimissorias habeat ordinandus, sollicitudinem de titulo removentes.

**N**otandum primò. Clerico, qui Ecclesiæ inservit, seu ministrat, stipendium necessarium ad congruam sustentationem non minùs debetur ex justitia, quàm militanti in militia sæculari; & signavit Apostolus. *1. ad Corinth. c. 9. quis militat suis stipendijs unquam?* & Dominus *Lucæ 10. dignus est operarius mercede sua.*

Sed nunquid Clericus Ecclesiæ serviens, seu beneficiarius, qui ex patrimonialibus bonis se alere potest, ipsi in quemcunque usum servatis, honestam vitæ sustentationem ab Ecclesia, cui servit, accipere jure potest? Affirmandum est secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ jam viget, licet spectatis antiquioribus Canonibus, qui *causa 12. q. 1. referuntur*, aliter dicendum esset.

Pro cujus intellectu quatuor tempora distingui debent. Primum est Ecclesiæ primivæ,

H 3

mitivæ,

mitivæ, in qua fideles bona immobilia vendebant, & pretia Apostolis offerebant, ut per eos dispensaretur singulis in communi habitantibus, prout cuique opus erat. *act. c. 2.* Alterum est, post tempora Apostolorum, cum expeditius visum fuit, ut Ecclesiæ bona immobilia possiderent, & eorum redditibus, in communi viventes Clerici (sicuti & SS. Virgines) alerentur in sacris domibus, seu collegiis, quæ à titulo sive Sanctæ crucis, sive Salvatoris, aut B. Mariæ Virginis, aut S. alicujus Apostoli, vel Martyris, tanquam Patroni tutelaris, nomen, ac distinctionem acceperunt. Hoc tempore nemo in Clericum assumebatur, nisi sub titulo alicujus sacri collegij, in quo sub obedientia Prælati ex bonis communibus viveret, & proprium non possideret. Tertium tempus est, cum cessante persecutione infidelium, & auctâ Ecclesiâ, ac numero Clericorum, quibusdam difficile, & arduum videbatur, in communi vita, relictis bonis proprijs, vivere: tunc ordinabantur etiam Clerici, qui ex proprijs bonis extra collegium, seu communitatem vivere & Ecclesiæ ministrare vellent, sed nihil ipsis ab Ecclesia dabatur loco præbendæ, cum nondum eo tempore, v. g. sancti Augustini, & sancti Prosperi, præbendæ distinctæ essent, sed bona Ecclesiastica secundum portionem, quæ Clericis, seu mensæ Capitulari assignata erat, in communi possidebantur, ita, ut qui in communitate non viverent, nullum in ijs jus sibi vindicare possent. Hæc legi possunt in *capitulo 18. c. ill. 25. causa 12. q. 1.* & videri, quæ docui *lib. 4. tract. 2. c. 2.* Quartum tempus est, quod hodie, & præcedentibus aliquot sæculis viguit, ut passim Clerici beneficiarij, etiam Canonici, qui Ordinem religiosum non profitentur, extra communitatem viventes, propria seu patrimonialia bona retineant, & nihilominus ab Ecclesia, in qua intitulati sunt, præbendam, seu redditus sufficientes beneficij accipiant, & jure accipere possint, sicuti ostendi in *cit. tract. 4. c. 3. n. 5.*

Notandum secundò, Duplex est titulus, super quo Clericus in sacris ordinari potest, Titulus beneficij & Titulus patrimonij, de quo postea dicam. Prior ille titulus propriè ita dicitur, ad cùmque requiritur. Primò, ut sit perpetuus & non amovibilis, ut hinc excludantur beneficiorum commendæ, & vicariæ temporales, quippe, quæ non in titulum collatæ sunt, sicuti ex communi docet *Abb. in c. constitutus. n. 5. de filijs presbyterorum*, eademque est ratio de capellanis non collatis, seu revocabilibus. Deinde pertinent huc beneficia manualia, quippe, quæ in titulum quidem dantur, sed ita, ut revocari possint, prout ex communi docet *Flaminus Parisius de resignatione lib. 2. q. 6. n. 2. & docui lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 5.* Secundò requiritur, ut beneficium unum, vel plura sint Clerico sufficientia, ad vitæ sustentationem, sicuti colligitur *ex hoc. c. & docet Trident. sess. 21. c. 2. de reformatione*. Satis tamen est, si unâ cum patrimonio certo, & stabili, fructus beneficij sufficiant, quod Episcopi ordinantis iudicio relinqui debet, consideratis circumstantijs, *argum. l. 1. §. ut Prætor ff. de jure deliberandi*. Quòd verò in ordine ad hunc finem, ut Clericus sacrum Ordinem accipiat, necesse non sit, beneficium sufficiens esse ad sustentationem decentem secundum conditionem, & statum personæ, sed satis esse, si habeat redditus necessarios ad victum & vestitum, ita ut penuria sublata sit, & Clericus tanquam egens mendicare non cogatur, respondit *Navar. in Miscell. de oratione 62. n. 3. Flaminus lib. 5. q. 6. 155. ex doctrina Gl. in c. unico V. Absque penuria, de statu regularium. in 6.*

Tertiò requiritur, ut Clericus beneficij pacificam possessionem nactus sit, sicuti expressit Trident. *cit. c. 2. & Pius V. in Bulla, Romanus Pontifex apud Quarantam in Bullario V. Ordo*. Veruntamen id ultimum in praxi non servatur, licet servari deberet, saltem ita, ut collatio beneficij Clerico facta sit, seu jus in re, & quidem sine

con-

conraditione acquisitū. tunc enim ordinari potest ad titulum ejus beneficij, cujus possessionem mox accepturus est, sicut resolvit Salzedo super practicā Diaz. c. 18. n. 7. & sequitur Rodriguez in Summa p. 2. c. 15. q. 10. contra Sayrum lib. 4. c. 14. n. 19.

9 His addendum, quod etiam ad pensionem Ecclesiasticam, si perpetua, ac veluti titularis sit, Clericus ordinari possit, teste Navar. de oratione c. 20. n. 18. Item ad Coadjutoriam, si ex Papæ concessione irrevocabilis sit, seu cum succedendi facultate concessa, sicuti docent Navar. & Salzedo, cit. locis.

10 Alter, qui est Patrimonij, non nisi improprie, & per æquiparationem titulus vocatur: quare in c. nostro assertur regula canonica, quod Clericus in sacris ordinari non debet sine titulo, videlicet beneficij, postea verò ponitur exceptio, nisi bona patrimonialia habeat: itaque patrimonialia bona æquiparantur titulo, in eum finem, ut Clericus in sacris ordinari possit.

11 Titulus iste æquiparatus varias species continet, quarum aliquæ extra controversiam sunt, aliæ verò non sunt. Primò. Si Clericus propria bona habeat, quæ ipsi sufficiant ad sustentationem vitæ, sint libera, ac fructifera, ut annuum redditum Clerico ordinato afferant, qui sufficiat Episcopi ordinantis arbitrio ad Clerici alimoniam.

Secundò, si Clerico ordinando à quacunque persona liberalis donatio, aut promissio fiat pensionis, aut sustentationis annuæ, sufficientis, præstandæ, donec Ecclesiasticum beneficium sufficiens, aliamve provisionem ordinatus consequatur. Significat autem Trident. ejusmodi donationem, aut pensionis assignationem, Clerico realiter tradi debere. Quod tamen in multis Ecclesijs non servatur, sed saltem ita servari deberet, ut cautio hypothecaria secuta fiat cum assignatione certæ rei liberæ, frugiferæ, unde sustentatio sufficiens accipiatur, qua de Quaranta fol. 492. Principibus tamen, Magnatibus, & Communitatibus, quibus nunquam deesse poterit facultas

Clericum alendi, fides haberi solet, si in instrumento, seu litteris authenticis, promissionem alendi Clericum faciant, ita ut, licet in alijs privatis personis exigatur cautio realis, in his tamen sufficiat cautio simplex instrumentaria, cujusmodi cautio sub conditione tantum, apud nos plerumque concipitur, videlicet, si Clericum indigere contingat. Quamvis verò Tridentinum plus exigat, tamen multum his in casibus adjuvat necessitas, si Sacerdotum penuria sit, & realis cautio, aut provisio absoluta impetrari non possit, tum necessitas legi non subjacet.

Tertiò potest aliquis ordinari, ad servitium Episcopi, aut Parochi, ita ut in hujus Ecclesia, in qua reditus sufficiant, ordinatus serviat, & ex mensa, seu beneficio parochiali alatur, donec proprium, ac stabile beneficium conferatur. Simili ratione potest quis ordinari super redditibus alicujus Seminarij ad serviendum in beneficio, quod Seminario unitum est, sicuti notat Flaminus q. 6. n. 33. Quare universim loquendo sufficit ad titulum, in ordine ad ordinationem, si Clericus servitio alicujus Ecclesiæ, aut altaris cum Episcopi, aut Prælati alterius consensu deputatus sit, ita ut inde ali debeat, donec aliam sufficientem sustentationem habeat, sicuti notat Salzedo apud Diaz. c. 18. n. 9. ex Trident. sess. 23. c. 16. de reformatione. Atque hi tres modi extra controversiam sunt: duo verò alij dubitati. Quartò itaque dicit Surdus de alimentis tit. 7. q. 37. n. 2. quod Clericus, qui beneficiatus non est, nec pensionarius ordinari possit absque patrimonio, si patrem divitem habeat, & eadem ratio est de ascendentibus alijs, quorum respectu necessarius hæres existit. Ratio dari debet, quia cum filius jus succedendi in bonis patris habeat, & ab ipso, si indigeat, ex necessitate ali debeat, non potest cenleri filius pauper, qui parentem divitem habet, prout docet Flaminus cit. q. 6. n. 22. Imol. tract. 2. disp. 46. n. 8. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 19. n. 21. Hæc doctrina certa est quoad

quoad hunc effectum, quod Episcopus Clerico ita ordinato sustentationem dare non cogatur, quandoquidem à patre, aliòve ascendente, ali debeat, si indigeat, sicuti colligitur ex hoc cap. & bene notavit *Imola n. 5. Quaranta fol. 489.* Sed absolute & ordinariè loquendo, præsertim secundum Trident. constitutionem *c. 1. c. 2.* filius ordinari non potest ad Titulum hereditatis, seu patrimonij patris viventis, quia Concilium requirit, ut ordinandus ipse, si beneficiarius non sit, patrimonium, vel pensionem habeat, sicuti bene notavit *Garzias p. 2. c. 5. n. 91. Flaminus n. 28.* quare in hoc casu requiritur, ut pater rem aliquam redditus ferentem designet, vel donet filio, ut sit ipsi instar patrimonij, vel saltem obligata realiter, ut alienari non possit, nisi cum onere pensionis inde filio ministrandæ, sicut videre licet apud *Molin. tract. 2. disp. 238. n. 15.* Breviter dici potest, quod pater sicuti a lius extraneus, filio ordinando, rem aliquam dare, vel obligare debeat, nisi pater illustris sit, aut unus ex Magnatibus, tunc enim nõ solet talis designatio bonorũ, aut rei certæ exigi ijs in Decretibus, in quibus talium personarum promissio litteris authenticis expressa, pro sufficiente titulo mensæ habetur, propterea quod, qui certus est, certiorari ulterius non debet *reg. 31. in 6.* etenim si promissio erga extraneum loco patrimonij, aut pensionis acceptatur, multo magis acceptari debet jus & obligatio naturalis in alendo proprio filio. Quinro docuit *Henriquez lib. 10. c. 17. in fine,* Doctorem, aut Baccalaureum insigniter doctum, sine beneficio, aut patrimonio ordinari posse, quod periculum non sit, ut egeat, & mendicare debeat, atque ita resolvisse DD. multos Hispaniæ ait *Rodriguez cit. c. 15. n. 15.* Sed hoc non est verum, nec in praxi tenendum, sicuti monet *idem Rodriguez & Salzedo n. 7.* ubi hunc errorem appellat: nam Canones, & Trident. Concilium generatim requirunt, titulum beneficij, pensionem, aut patrimonium. Cùm etiam in viro eruditissimo subesse

possit periculum mendicitatis, ob varios casus, v. g. subito incidentis infirmitatis, ob quam inutilis fiat, & egeat.

Quam ob rem, ne id accidere possit, providè etiam cautum est in *Trident. sess. 21. c. 2.* ut beneficius Clericus resignare non possit, nisi factâ mentione, quod ad ejus titulum sit promotus; item ut patrimonium, aut pensio, sine Episcopi licentia alienari, extingui, aut remitti non possit, donec ordinatus beneficius sufficiens assequatur, vel aliud habeat, unde se alar.

Præter duos titulos in textu signatos, quorum unus est beneficij, & alter patrimonij, seu pensionis, addi potest tertius Professionis in Religione, nam Religionem professi sine alio titulo in sacris ordinari possunt, idque *Gregorius XIII. Anno 1573.* extendit ad eos Religiosos, qui in Societate Jesu simplicia tria vota emittunt.

Notandum tertio. Si Episcopus Clerico sacrum Ordinem conferat, titulum beneficij, aut sustentationis necessariæ non habenti, ipsemet ei necessaria providere debet, donec beneficium assequatur. Ratio dari debet, ne contingere possit, ut Clericus in sacris cum dedecore Cleri mendicare debeat, id enim indecens esse significatur in *c. Diaconi 23. §. nunc autem disp. 93.* Idemque similiter dicendum, si Episcopus resignationem beneficij accipiat, ad cuius titulum quis ordinatus fuit, quod cum postea alere debeat, si aliud sustentationem sufficientem non habeat. Quam ob rem monet *Flamin. cit. q. 6. n. 41.* quod resignaturus beneficium exprimere debeat, se aliud habere, unde vivat, nam alioquin non admittetur resignatio.

Ampliarì debet notandum, quod hæc alendi obligatio transit ad Successorem, quia Episcopalis mensa gravatur, ait *Andrem in c. cum secundum 16. hoc tit.* Limitari autem debet primò: si Episcopus in culpa non fuit, ordinando sine titulo, quia Clericus, fraude adhibitâ, ordinationem impetravit, sine culpa Episcopi, ut tradit *Navar. lib. 1. consil. 46. de temporibus ordi-*

natio.

nationum, editione 2. Flamin. n. 18. nam res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debet c. 2. de constitutionibus. Ex alio tamē capite, ne Clericus cum Cleri dedecore mendicet, Episcopus tanquam caput Clericorum, in Diœcesi, præ alijs Clericum egenum alere, eive providere tenetur, sicuti indicat Abb. in cit. c. cum secundum, n. 6. & ita intelligi debet Tol. in summa lib. n. c. 49. suspension. 18.

Secundo. Si Archidiaconus, vel apud nos Vicarius aliquem per negligentiam sine titulo admitrat, obligatio alendi primo loco ipsi incumbit, qui ratione officij sui examinare, & ordinandos admittere debuit, sicuti docet Gl. in cit. c. cum secundum V. Successores & docui in c. accepimus. 13. de nate & qualitate &c. Tertiò: si alius Episcopus dimissorias dedit, seu præsentavit Clericum suum alibi ordinandum, tunc ordinator, si commissio specialis fuit, seu erga certam personam, de titulo sollicitus esse non debet c. si Episcopus 37. hoc tit. in 6.

## CAPITULUM V.

Quia

## PARAPHRASIS.

Cum in Lateranensi Concilio sub Alex. III. relatum esset, quod aliqui Clerici, ambitione ducti tres, inâ plures Ecclesias obtinerent, sive in ijs præbendati essent, cum neque duabus possent simul, sicuti par est, deservire, ideo Pontifex cum Episcopis præcipit hoc emendari, quia multitudo præbendarum Canonibus inimica est, dissolutionis, & evagationis occasionem præbet, certamque continet animarum periculum; quare justum est, ut sublata eâ præbendarum pluralitate, Clericis indigentibus, qui & Ecclesiæ inservire possint, subveniatur.

## SUMMARIUM.

1. Non est licitum, ut plures præben-

das Canonicales in diversis Ecclesijs possideat Clericus.

2. Sermo tamen hic non est de pluribus Canonijs, sed tantum de pluribus præbendis.

3. Si tamen una præbenda sufficiens sit ad convenientem sustentationem.

4. Ita, ut etiam taliter plura beneficia possidens, ordinariè ordinari non possit, nisi sit causa pluralitatem talem legitime excusans.

5. Qualis causa nec sola consuetudo, nec solum privilegium est.

6. Sicuti autem, si plura beneficia in diversis Diœcesibus obtineat Clericus, in causis ad unum certum v. g. beneficium pertinentibus in illo loco, ubi beneficium situm est, conveniri debet, ita in alijs causis utrobique censetur habere domicilium, & forum sortiri.

**N**Otandum primò. Non est licitum, ut Clericus in pluribus Ecclesijs beneficia, seu præbendas canonicales obtineat. Ita etiam habetur in c. 2. dist. 70. omnino in duabus Ecclesijs aliquem titulari non liceat, sed unusquisque, in qua titularus est, in ea tantum Canonicus habeatur. Consentit c. 1. & 2. causa 21. q. 2. & Trident. sess. 24. c. 7. de reformatione, quod neminem oportet in duabus Ecclesijs conscribi. Sic neque Monachus in duobus Monasterijs aliquis esse potest c. ult. de Religiosis domibus, neque Abbas in duobus Monasterijs juxta cit. c. ult. & c. unum 4. eadem quest. 11. Rationes afferuntur in textu, quia hæc beneficiorum pluralitas ex ambitione nascitur, evagationis, ac dissolutionis (tam in vestibus, quam in motibus inquit Abb. hic) materiam inducit, cultum divinum imminuit, Ecclesiasticorum reddituum inconvenientem distributionem continet, dum videlicet alij Clerici abundant, alij verò, qui plus Ecclesiæ prodesse possent, penuriam patiuntur. Denique ob has ipsas causas certum animarum periculum creat. Vide plura, quæ eleganter congerit Rebuff. in praxi de dispensatione ad plura beneficia.

I.

Adver-